

1771

C O D I C E S

1772

DCCXXXVIII.

R. 3158 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 46. 4. min. bene scriptus et rubricis enotatus hanc Notam praefert: *In hoc Libello continetur primo epistola fratris Humberti quinti Magistri ordinis predicatorum quam scripsit de tribus essentialibus ordinis. et de quibusdam virtutibus. et hanc epistolam per totum ordinem et singulas provincias misit. Post hoc statim sequitur epistola fratris Boneuenture de balneo regio et multum bona. Hunc vero libellum scripsit manu propria Venerabilis Pater dominus Henricus tertius Prepositus huius Monasterij sancte Dorothee virginis et martiris. Anno domini M. CCCC. XVII. Iste bonus Pater fuit Magister arcium et Baccalarius in theologia ac Collegiatus (Collegii Ducal. membrum). Orate karissimi pro eo dominum deum benedictum et gloriosum. Idem etiam venerabilis Pater post epistolam fratris Bonaenture scripsit etiam propria manu aliqua notabilia pro temptatis. Epistolae Humberti jam memini Vol. I. P. 2. col. 2441. Epistolam Bonaenturae habes in Edit. Opp. Lugd. 1668. T. VII. p. 14. Obliti sunt Editores eam in Elencho praevio adnotare; incipit vero: *In Christo suo dilecto &c. Quoniam dilecti mi frater in domino adhuc me in presentia &c.* et titulum praefert: *Viginti Quinque Memorialia. Quae de Tentationibus, Mentis**

confidentia, Scrupulositate, Modo resistendi adjecit *Henricus*, si quidem propria ejus cogitata sunt, virum in via Spiritus probe versatum ostendunt.

DCCXXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 105. 4^{to}. probe scriptus, rubricisque nitide distinctus, et quondam Parthenonis *Halensis Tyroleas* res ad B. *Birgittam Suecicam*, conditumque ab ea S. *Salvatoris* Ordinem pertinentes complectitur, quas juxta praemissum Indicem recensebimus. 1) *Regula O. S. Salvatoris*, prout extat in *Mariani Brockie Codice Regular. T. III. Aug. Vindel. 1759. p. 107. f. ab Urbano VI.* adprobata a. 1379. Praeit nobis Icon picturata *Birgittae* Regulam hanc Professoribus utriusque Sexus distribuentis, tum Testimonium *Theodorici de Morfa* Archiep. *Coloniens.* datum *Jacobo de Roperstorp generali confessori Monasterii Marienkrone Zwerinen. dioc.* de integritate et sinceritate hujus *Transumpti*, a. 1451. cui Testimonio inserta sunt alia duo videlicet *Nicolai Zwerinen.* signatum in *Capella castri nostri Butzow* a. 1446. et *Kanuti lyncop. Episcopi* signatum in *monasterio wastenen. nostre dioc.* a. 1428. quae tria testimonia et descriptionem Sigillorum iis adpenforum et Notariorum, Testiumque nomina continent, et praeterea tam *Urbani VI.* Confirmationem, quam *Elzarii*